Itinerarium (Latin)

Anonymous pilgrim of Piacenza (c. AD 570)

SermonIndex.net / Church Fathers

Sections 1 to 32

Antonini Placentini — Itinerarivm

Praecedente beato Antonino martyre, ex eo quod a ciuitate Placentina egressus sum, in quibus locis sum peregrinatus, id est sancta loca.

Exeuntibus nobis de Constantinopoli uenimus in insula Cypri in ciuitate Constantia, in qua requiescit sanctus Epifanius. Ciuitas pulchra, deliciosa, ornata palmis dactalorum. Venimus in partes Syriae in insula Antharidus et inde uenimus in Tripoli Syriae, in qua sanctus Leontius requiescit; quae ciuitas tempore Iustiniani imperatoris subuersa est a terrae motu cum aliis ciuitatibus. Venimus exinde Biblo, quae et ipsa subuersa est cum hominibus, item in Triarim ciuitatem, quae et ipsa similiter subuersa est. Deinde uenimus in ciuitate splendissima Berito, in qua nuper studium fuit litterarum. Quae ciuitas subuersa; dicente nobis episcopo ciuitatis, quia cognitae personae, quae sciebantur nominatim, excepto peregrinis triginta milia ad breue missi hic perierunt. Ipsa ciuitas iacet sub montana Libani.

A Berito uenimus Sidona, quae ex parte ruit et ipsa adhaerit Libano; homines in ea pessimi. Illic currit fluuius Asclipius et de fonte unde exsurgit stat .... De Sidona uenimus Sarapta, quae ciuitas modica christiana nimis est, in qua est cenaculus ille, qui factus fuerat Heliae, et ipsum lectum ibi est, ubi recubuit, et alueus marmoreus, ubi illa uidua infermentauit. In quo loco multa offeruntur; multae uirtutes illic fient. Exeuntes de Sarapta uenimus in ciuitatem Tyro. Inter Sidona et Tyrum et Saraptam continuo milia septem. Tyro homines potentes, uita pessima tantae luxuriae, quae dici non potest; genicia publica olosirico uel diuersis generibus telarum. Et inde uenimus Ptolomaida. Ciuitas honesta, monasteria bona.

A Ptolomaida per mare incontra in ciuitatem Sucamina Iudaeorum est miliario semis per directo, littore maris milia sex. Castra Samaritanorum a Sucamina miliario subtus monte Carmelo. Super ipsa Castra miliario semis monasterium sancti Helisaei, ubi ei occurrit mulier, cuius filium suscitauit. In Carmelo monte inuenitur petra modica rotunda, quam dum exagitas sonat, quae solida est. Talis autem est uirtus petrae: si suspensa fuerit

mulieri uel cuicumque animali, iactum numquam faciet. Et a milia sex aut septem ciuitas Porfirina.

De Ptolomaida misimus maritimam. Venimus in finibus Galilaeae in ciuitatem, quae uocatur Diocaesarea, in qua adorauimus, quasi dicentes nobis, amula et canistellum sanctae Mariae. In quo loco erat et cathedra, ubi sedebat, quando ad eam angelus uenit. Deinde milia tria uenimus in Cana, ubi ad nuptias fuit Dominus, et accumsimus in ipso accubitu, ubi ego indignus nomina parentum meorum scripsi, ... ex quibus hydriis duae ibi sunt et impleui unam ex eas uino et in collo plenam leuaui et obtuli ad altare et in ipsa fonte pro benedictione lauauimus.

Deinde uenimus in ciuitatem Nazareth, in qua sunt multae uirtutes. Ibi etiam sedit in sinagoga tomus, in quo abcd habuit Dominus inpositum. In qua etiam sinagoga posita est trabis, ubi sedebat cum aliis infantibus. Quae trabis a christianis agitatur et subleuatur, Iudaei uero nulla rerum ratione possunt agitare, sed nec permittit se foris tolli. Domus sanctae Mariae basilica est, et multa ibi fiunt beneficia de uestimentis eius. In ciuitate uero illa tanta est gratia mulierum Hebraeis, ut in terra illa inter Hebraeas pulcriores non inueniantur, et hoc dicunt, quia a sancta Maria sibi hoc concessum; nam et parentem suam dicunt eam fuisse; et dum nulla sit caritas Hebraeis circa christianos, illae uero omne sunt caritate plenae. Prouincia similis paradiso, in tritico et in frugis similis Aegypto, modica quidem, sed praecellit Aegyptum in uino et oleo et poma. Melium extra natura altum nimis, super statum hominis talea grossa.

De Nazareth uenimus in Tabor monte, qui mons exurgit in medio campestri, terra uiua, tenens circuitum milia sex, ascensum milia tria, susum contra unum miliarium planus; in quo sunt tres basilicas, ubi dictum est a discipulo: Faciamus hic tria tabernacula; in circuitu diuersae ciuitates, quae in Regum leguntur. De Tabor uenimus ad mare Tiberiadis in ciuitatem, quae uocata est in tempore Samaria, modo uero dicitur Neapolis, in qua est puteus, ubi Dominus a Samaritana aquam petiit, ubi facta est basilica sancti Iohannis; et ipse puteus est ante cancellos altaris et siclus ibi est, de quo dicitur, quia ipse est, de quo bibit Dominus, et multae aegritudines ibi sanantur.

Deinde uenimus in ciuitate Tiberiade, iu qua sunt termas ex se lauantes salsas, nam aqua maris ipsius dulcis est. Qui maris circat milia sexaginta. Item uenimus in Capharnaum in domo beati Petri, quae est modo basilica. Exinde transeuntes per castra uel uicos aut ciuitates uenimus ad duos fontes, hoc est Ior et Dan, quae in unum iunctae sunt, et uocatur Iordanis, paruus omnino, qui ingreditur in mare, pertransit aquam maris totum pelagum et exit in alio litore maris. Reuertentes post nos uenimus ad locum, ubi Iordanis de mare egreditur. Transiuimus Iordanem in ipso loco. Venimus in ciuitatem, quae uocatur Gadera, quae ipsa est Gabaon. In ista parte < Iordanis a> ciuitate ad milia tria sunt aquas calidas, quae appellantur termas Heliae, ubi leprosi mundantur, qui e xenodochio habent de publicum delicias. Hora uespertina inundantur termae. Ante ipsum clibanum aquae est solius grandis, qui dum impletus fuerit, clauduntur omnia ostia, et per posticum mittuntur intus cum luminaria et incensum et sedent in illo solio tota nocte, et dum soporati fuerint, uidet

ille, qui curandus est, aliquam uisionem, et dum eam recitarit, abstinentur ipsae termae septem diebus et intra septem dies mundatur. Nam et ibi mortuus est Iohannes de Placentia, maritus Teclae. Ipse fluuius calidus, qui uocatur Gadera, descendit torrens et intrat in Iordanem, et ex ipso Iordanis ampliatur et fit maior.

Et dum descendimus per Galilaeam iuxta Iordanem, tranneuntes multas ciuitates, quae leguntur, uenimus in ciuitate metropoli Galilaeae, quae uocatur Scitopolis, in monte posita, ubi sanctus Iohannes multas uirtutes operatur. Exinde ascendimus per alia loca Samariae et Iudaeae in ciuitatem Sabastae, in qua requiescit Heliseus propheta. Descendentes per campestria, ciuitates uel uicos Samaritanorum; et per plateas, unde transiuimus siue nos siue Iudaei, cum paleas uestigia nostra incendentes; tanta illis est execratio utrisque. Christianis quidem responsum faciunt, ea sane ratione, ut quod habis emere non tangas, antequam pretium des; quod si tetigeris et non conparaueris, mox scandalum. Nam foris uico una condoma habent posita, qui faciunt responsum. Ipsos nummos in aqua iactas, nam de manu non accipiunt. Et denuntiant tibi, quando ingrederis: non sputes, et si sputaueris, scandalum generas. Sero autem purificant se in aqua et sic ingrediuntur in uico aut in ciuitatem.

Deinde uenimus in loco, ubi Dominus de quinque panibus quinque milia populos saciauit, extensa campania, oliueta et palmeta. Ex hoc uenimus in loco, ubi baptizatus est Dominus noster. In ipso loco transierunt filii Israhel; ibi et filii prophetarum perdiderunt securem et ex ipso loco adsumptus est Helias. In ipso loco est mons Hermon modicus, qui legitur in psalmo. A pede montis ipsius de fluuio ascendit nubes hora prima et exeunte sole uenit super Hierusolimam super basilicam, quae est in Sion, et super basilicam ad monumentum Domini et super basilicam sanctae Mariae et sanctae Sofiae, quae fuit praetorium, ubi auditus est Dominus. Super his locis descendit ros sicut pluuia et colligent eum medici et in ipso cocuntur omnes confectiones per xenodocia, nam multi languores sanantur in ipsis locis, ubi cadit ipse ros. Ipse est enim ros, qui cantatur in psalmo: sicut ros ab Hermon qui descendit in monte Sion. In illa parte Iordanis est fons, ubi baptizabat sanctus Iohannes, ad Iordane milia duo. In ipsa ualle Helias inuentus est, quando ei portabat coruus panem et carnes. In circuitu uallis illius multitudo heremitarum.

Ibi in proximo est ciuitas quae uocatur Liuiada, ubi remanserunt duo semis tribus Israhel, antequam Iordanem transirent, in quo loco sunt termae ex se lauantes, quae uocantur Moysi, ibi etiam et leprosi mundantur. Est ibi fons, aqua dulcissima, quae pro catarticum bibitur et sanat multos languores, non longe a mare salinarum, in qua etiam et Iordanis ingreditur subtus Sodoma et Gomurra, ad cuius litus sulphur et bitumen colligitur. In qua mare mense Iulio. et Augusto et medio Septembrio tota die iacent leprosi; ad uesperum lauant in illas termas Moysi et aliquotiens, quem uult deus, mundatur. Nam et generalitati est aliqua paramitia. In quo mare nihil inuenitur uiuificatum nec paleas nec lignum supernatat neque homo natare potest, sed quicquid ibi iactatum fuerit, in profundum dimergitur. De Iordane in locum, ubi Moyses de corpore exiuit, sunt milia octo, et exinde non multum longe ad Segor, in quibus locis multi sunt heremitae. Vidimus et monumentum Abisalon.

Tenui autem theophaniam in Iordane, ubi talia fiunt mirabilia in illa nocte in loco, ubi baptizatus est Dominus. Est obeliscus factus clausus cancellis, et in loco, ubi aqua rediit in alueo suo, posita est crux lignea intus in aquam et gradi descendunt usque ad aquam ex utraque parte marmoris. In uigilias theophaniae fiunt uigiliae grandes, populus infinitus; gallo quarto aut quinto fiunt matutinas. Conpleto matutinas albescente die procedunt ministeria sub diuo, et tenentes diaconi descendit sacerdos in fluuium et hora, qua coeperit benedicere aquam, mox Iordanis cum rugitu redit post se et stat aqua usque dum baptismus perficiatur. Et omnes Alexandrini habentes naues homines suos die illo ibi habent habentes colathos plenos cum aromatibus et opobalsamo, et hora, qua benedixerit fontem, antequam incipiant baptizari, omnes fundent illos colathos in fluuium et tollent inde aquam benedictam et exinde faciunt aquam sparsionis in nauibus suis, antequam exeant ad nauigandum. Conpleto baptismo omnes descendunt in fluuio pro benedictione induti sindones et multas cum alias species, quas sibi ad sepulturam seruant. Conpleto baptismo reuertitur aqua in locum suum. Et unde surgit Iordanis a mare Tiberiadis usque ad mare salinarum, ubi defecit, sunt milia plus minus centum XXXta.

In illa ripa Iordanis est spelunca, in qua sunt cellulae cum septem uirgines, quae ibi infantulae mittuntur, et dum aliqua ex ipsis mortua fuerit, in ipsa cellula sepelitur et alia cellula inciditur et mittitur illic alia infantula, ut numerus stet, et habent foris, qui eis permanent. In quo loco cum timore magno ingressi sumus ad orationem, faciem quidem nullius uidentes. In ipso loco dicitur esse sudarium, qui fuit in fronte Domini. Super Iordane non multum longe <a loco>, ubi baptizatus est Dominus, monasterium est sancti Iohannis grande ualde, in quo sunt xenodochia duo. In ista uel in illa ripa Iordanis sub montana loca, ubi inueniuntur serpentes, unde tiriaca conficitur.

Venientibus a Iordanen in Hierieho milia sex. Hiencho autem in oculis hominum ita uidetur ut paradisus. Muri diruti, territorius in miraculis positus. Domus Raab stat, quae est xenodochium, et ipse cubiculus, unde deposuit exploratores, est oratorium sanctae Mariae. Lapides illos, quos leuauerunt filii Israel de Iordane, positi sunt non longe a ciuitate Hiericho in basilica post altarium magni ualde. Ante basilica est campus, ager Domini, in quo Dominus manu sua seminauit, ferens satum usque ad modios tres, qui etiam bis in anno colligitur, qui numquam seminatur, sed ex se nascitur. Colligitur autem mense Februario et exinde in pascha communicatur. Aratur, dum collectus fuerit, et iterum cum aliis messibus collegitur et deinceps aratur et dimittitur.

Fons aquae, quam indulcauit Helisaeus, inrigat omnem Hiericho. Ibi nascitur uinum t potiston, qui febrientibus datur. Ibi nascitur dactalum de libra, ex quibus mecum adduxi in prouincia, ex quibus unum domino Paterio patricio dedi. Ibi nascitur cetrius de libras quadraginta et uirga fasioli longa pedes duo et in latitudinem [et in longitudinem] digitos duos. Ibi est et uitis, unde in ascensionem Domini uuas cistas plenas uenales in monte Oliueti, et inde pentecosten mustum et exinde colata plena proponuntur.

Exeuntes de ciuitate uenientes contra Hierusolimam, non longe a ciuitate Hiericho est illa arbor, ubi ascendit Zachaeus uidere Dominum, qui arbor, inclausus infra oratorium, ipsius

per tectum foris dimissa est, sicca quidem. Exeuntes porta de Hiericho, ab oriente contra occidentem uenientes; in sinistra manu intras in fauillas Sodomae et Gomurrae, super qua prouincia semper nubes obscura descendit; odor sulphoreus. Nam quod fallent homines de uxore Loth, eo quod minuatur ab animalibus lingendo, non est uerum, sed stat in ipso statu, in quo fuit.

Ascendent.ibus nobis de montana in Hierusolima non longe ab Hierusolima uenimus in Baorin, deinde ad sinistram ad oppida Oliueti montis in Bethania ad monumentum Lazari. Nam respicientibus in ualles illas et perambulantes monasteria multa, loca mirabiliorum, uidimus multitudinem inclausorum uirorum ac mulierum in monte Oliueti. Et sursum in monte in loco, unde ascendit Dominus, uidimus mirabilia multa et cellula, ubi fuit inclausa uel iacet sancta Pelagia in corpore. In ipso monte iacet Iacobus, Zebedaeus, Cleophas uel multa corpora sanctorum.

Descendentes de monte Oliueti in ualle Gessemani in loco, ubi traditus est Dominus, in quo sunt tria accubita, in quibus ille accubuit, et nos accubuimus pro benedictione. Et in ipsa ualle est basilica sanctae Mariae, quam dicunt domum eius fuisse, in qua et de corpore sublatam fuisse. Ipsa uallis Gessemani ibidem uocatur Iosaphat. De Gessemani ascendimus ad portam Hierusolima per grados multos. In dextra parte portae est oliuetum; ibi est ficulnea, in qua ludas se suspendit, cuius talea stat munita petris. Porta ciuitatis, quae cohaerit portae speciosae, quae fuit templi, cuius liminare et tabulatio stat.

Osculantes proni in terram ingressi sumus in sanctam ciuitatem. in qua adorantes monumentum Domini. Quia monumento de petra est naturale excisus et † potus ex ipsa petra excisus, ubi corpus domini Iesu Christi positum fuit, lucerna aerea, quae in tempore ad caput ipsius posita fuit, ibidem ardet die noctuque, ex qua benedictionem tulimus, et reconposuimus ea. In quo monumento de foris terra mittitur et ingredientes exinde benedictionem tollent. Lapis, unde clausus monumento, ante os monumenti est, color uero de petra; qui excisus est de petra Golgotha. Nam ipsa petra ornata ex auro et gemmis, nam petra monumenti uelut molaris est. Ornamenta infinita: in uirgis ferreis pendentes brachialia, dextroceria, murenas, anuli, capitulares, cingella girata, balteos, coronas imperatorum ex auro uel gemmis et ornamenta de imperatricis. Ipsum monumentum sic quasi in modum metae coopertus ex argento † sub solas aureos. Ante monumentum altaris est positus.

A monumento usque Golgotha sunt gressi LXXX. Ab 1 coierit G coerit B coherit Br limitari G limitare R liminare Br 2 trabnlacio G trabulatio R tribulatio Br tabulatio scripsi 3 in terra G 4 munumentum G quoniam Br quod coni. Gildemeister monomento petra ead. m. superscripta uoce de G monumentum-ezciaum R monumentam-excieus Br 5 et potus-ezcisus om. GBr potus] puteus Nettleship 6 Ibi R corpus domini positum fuit Iesu Christi R 7 capud G ipsius om. R erat R fuerat Br ibidem et ibi G 8 tullimus G 9 monumentum G 10 benedictione GR exinde tollent R clausus GR 11 monomentum GBr monumento 22 est om. R est ante os Br uero de] uiride G petrae quae excisa est Br 13 petra om. 22 14 bracilia G dextralia R murinas G murenulas R murenas Br 15 anolis G cengella G cincella R girata G grata R irata Br belthei Br 16 et gemmis G ornamento B 17 ipsum monumentum om. G medae

B coopertus R copertus G coopertum Br 18 argento corr. ex argentum G solas G solus R soles coni. Gildemeister caelos ego monumento corr. 1. m. G altarium est positum R altare positum Br 20 monumentum G usque ad G . gressus 22 Alia parte G una parte ascenditur per gradus, unde Dominus noster ascendit ad crucifigendum. Nam et locus, ubi crucifixus fuit, paret et cruor sanguinis paret in ipsa petra. In latere est altarium Abrahae, ubi ibat Isaac offerre, obtulit et Melchisedech sacrificium. Ad ipsum altarium est creptura, ubi ponis aurem et audis flumina aquarum et iactas malum aut quod potest natare et uadis in Siloa fonte et ibi eum suscipis. Inter Siloam et Golgotha credo esse miliarium. Nam Hierusolima aquam uiuam non habet praeter in Siloa fonte.

De Golgotha usque ubi inuenta est crux sunt gressos quinquaginta. In basilica Constantini cohaerente circa monumentum uel Golgotha, in atrio ipsius basilicae, est cubiculum, ubi lignum crucis reconditum est, quem adorauimus et osculauimus. Nam et titulus, qui ad caput Domini positus erat, in quo scriptum est: \'Hic est rex Iudaeorum>, uidi et in manu mea tenui et osculatus sum. Qui lignus crucis de nuce est. Procedente sancta cruce ad adorandum de cubiculo suo et ueniens in atrio, ubi adoratur, eadem hora stella apparet in coelo et uenit super locum, ubi crux resedit, et dum adoratur crux, stat super ea et offertur oleum ad benedicendum, ampullas medias. Hora, qua tetigerit lignum crucis orum ampullae mediae, mox ebullescit oleum foris, et si non clauditur citius, totum redundat foris. Reuertente cruce in loco suo reuertitur et stella; post reclausa cruce ultra non apparebit stella. Nam et ibi est illa spongia et canna, de quibus legitur in euangelio, de qua spongia aquam bibimus, et calix onychinus, quem benedixit in cena, et aliae multae uirtutes, species beatae Mariae in superiore loco et zona ipsius et ligamentum, quo utebatur in capite. Ibi sunt et septem cathedrae marmoreae seniorum.

Ascendimus in turrem Dauid, ubi psalterium decantauit, magna ualde, in qua sunt monasteria in cenaculis singulis. Quae turris quadrangulis et opus caluum, non habens tectum; in quo etiam christiani pro deuotione ad mansionem ascendunt. Et circa medium noctis surgentes audiunt uoces murmurantium iusum in ualle Iosapha contra Iordanen in loca, quae respiciunt ad Sodoma et Gomorra, et uulgariter appellatur ipsa uallis Iosapha, quae et Gessemani.

Deinde uenimus in basilica sancta Sion, ubi sunt multa mirabilia, inter quibus quod legitur de lapide angulare, qui reprobatus est ab aedificantibus. Ingresso domino Iesu in ipsa ecclesia, quae fuit domus sancti Iacobi, inuenit lapidem istum deformem in medio iacentem, tenuit eum et posuit in angulum. Quem tenes et leuas in manibus tuis et ponis aurem in ipso angulo et sonat in auribus tuis quasi multorum hominum murmuratio. In ipsa ecclesia est columna, ubi flagellatus est Dominus. In qua columna tale est signum: dum eam amplexasset, pectus eius inhaesit in ipsa marmore et manus ambas apparent et digiti et palmae in ipsa petra, ita ut pro singulis languoribus mensura tollatur exinde; et circa collum habent et sanantur. In ipsa columna est illud cornu, de quo reges unguebantur et Dauid. Ibi est in ipsa ecclesia et corona de spinis, qua coronatus est Dominus, et lancea, de qua in latere percussus est Dominus. Ibi sunt et lapides multae, cum quibus lapidatus est

Stephanus. Ibi est et columnella, in qua crux posita est beati Petri, in qua crucifixus est Romae. Ibi est et calix apostolorum, in quo post resurrectionem Domini missas faciebant, et multa alia miracula, quae non recolo. Ibi est monasterium feminarum. Vidi testam de homine inclausam in locello aureo ornatam ex gemmis, quae dicunt quia de sancta martyra Theodote esset, in qua multi pro benedictione bibunt et ego bibi.

De Sion uenimus in basilica sanctae Mariae, ubi est congregatio nimia monachorum, ubi sunt et xenodochia uirorum ac mulierum, susceptio peregrinorum, mensas innumerabiles, lecta aegrotorum amplius tria milia. Et orauimus in praetorio, ubi auditus est Dominus, ubi modo est basilica sanctae Sofiae ante ruinas templi Salomonis sub platea, quae discurrit ad Siloam fontem secus porticum Salomonis. In ipsa basilica est sedis, ubi Pilatus sedit, quando Dominum audiuit. Petra autem quadrangulis, quae stabat in medio praeturio, in quam leuabatur reus, qui audiebatur, ut ab omni populo audiretur et uideretur, in qua leuatus est Dominus, quando auditus est a Pilato, ubi etiam uestigia illius remanserunt. Pedem pulchrum, modicum, subtilem, nam et staturam communem, faciem pulchram, capillos subanellatos, manum formosam, digita longa imago designat, quae illo uiuente picta est et posita est in ipso praeturio. Nam de petra illa, ubi stetit, fiunt uirtutes multae; tollentes de ipsa uestigia pedum mensuram, ligantes pro singulis languoribus et sanantur. Et ipsa petra ornata est ex auro et argento.

Et exinde uenimus ad arcum, ubi antiqua porta fuit ciuitatis.

In ipso loco sunt aquae putridae, ubi missus est Hieremias. Ab arcu illo descendentibus ad Siloa per gradus multos super Siloa est basilica uolubilis, desubtus de qua surgit Siloa, quae habet manu facta hominis duo solia ex marmore, et inter solium et solium clausura cancellorum. In uno lauantur uiri et in alio mulieres pro benedictione; in quibus aquis multae uirtutes ostenduntur, immo et leprosi mundantur. Inante atrio est piscina grandis manu hominis munita, in qua assidue populus lauant; nam in illis soliis certis horis fons ipsa inrigat aquas multas, quae descendunt per uallem Gessemani, quam et Iosaphat uocant, usque ad Iordane fluuium et ingreditur in Iordane in loco, ubi Iordanis deficit in mare salinarum subtus Sodoma et Gomorra.

Nam et modo ipsa fons Siloa infra ciuitatem inclausa est, quia Eudoxia imperatrix ipsa addidit muros in ciuitate. Nam ipsa muniuit basilicam et sepulchrum sancti Stephani et ipsa sepulchrum habet iuxta sepulchrum sancti Stephani. Inter sepulchra habet continuo gressus XX. Nam et ipse sanctus Stephanus requiescit foris portam, sagittae iactum unum ad uiam, quae respicit ad occidentem, quae descendit ad Ioppe et Caesarea Palestinis uel Diaspoli ciuitatem quae antiquitus dicitur Azotus, in qua requiescit sanctus Georgius martyr. In ipsa strata non multum longe ab ipsa ciuitate stat columna marmorea in media uia, in qua prius Dominus ducebatur ad flagellandum, quae fugiens leuata a nube et posita in ipso loco. Et in tantum cognoscitur uerum esse, quia neque basidem habet, ubi debet esse fundata, sed sic super terram stat et exagitatur. In cuius summitate crux est posita ferrea et per scalas ascenditur et luminaria ibi fiunt et incensum. In quo loco daemoniaci mundantur. Nam et in ipsa prouincia multas uirtutes ostendit beatus Georgius.

Exeuntibus nobis de Siloa uenimus in agrum, qui conparatus est de pretio Domini, qui uocatur Acheldemach, hoc est ager sanguinis, in quo sepeliuntur omnes peregrini. Inter ipsas sepulturas cellulas seruorum dei; uiri multi uirtutum. Poma et uineas inter ipsa monumenta per loca.

Reuertentibus nobis in ciuitatem uenimus ad piscina natatoria, quae habet quinque porticus, ex quibus una habet basilicam sanctae Mariae, in qua multae fiunt uirtutes. Nam ipsa piscina modo redacta est in stercore et ibi lauantur omnia, quae sunt necessaria in ciuitate. Vidimus et in uno angulo tenebroso catenam ferream, cum qua se laqueauit infelix ludas. Item exeuntibus nobis ad portam maiorem uenimus ad sanctum Isicium, qui ibidem in corpore iacet, ubi etiam et panes erogantur ad homines pauperes et peregrinos, quod deputauit Helena.

Yia, quae ducit Bethlem, ad tertium miliarium de Hierosolima iacet Rachel in corpore, in finis loci, qui uocatur Rama. In ipso loco uidi in media uia de petra exire aquam inmobilem ad arbitratum usque ad sextarios septem, unde conplent omnes et neque minuitur neque ampliatur. Suauitudo ad bibendum innarrabilis, dicentes, eo quod sancta Maria fugiens in Aegyptum in ipso loco sedit et sitiuit, et sic egressa esset ipsa aqua. Ibi et ecclesia modo facta est.

De ipso loco usque Bethlem milia tria. Bethlem locus splendidissimus; serui dei multi; spelunca, ubi natus est Dominus, in qua est ipsum praesepium ornatum ex auro et argento; die noctuque intus luminaria. Os uero speluncae ad ingrediendum angustum omnino. Hieronymus presbyter in ipso oie speluncae ipsam petram sculpiuit et monumentum sibi fecit, ubi et positus est. Continuo medium miliarium a Bethlem in suburbio Dauid ibi iacet in corpore, simul et Salomon filius ipsius, duo monumenta. Quae basilica ad sanctum Dauid appellatur. Nam et infantes, quos occidit Herodes, in ipso loco habent monumentum et omnes in unum requiescunt et aperitur et uidentur ossa ipsorum. Ante Bethlem est monasterium muro cinctum, in quo est multitudo monachorum congregata.

De Bethlem autem usque ad ilicem Mambre sunt milia XXIV, in quo loco iacent Abraham et Isaac et Iacob et Sarra, sed et ossa Ioseph, basilica aedificata in quadriporticus, in medio atrio discopertus, per medio discurrit cancellus et ex uno latere intrant christiani et ex alio latere Iudaei, incensa facientes multa. Nam et depositio Iacob et Dauid in terra illa alio die de natale Domini deuotissime celebratur, ita ut ex omni terra illa Iudaei conueniant, innumerabilis multitudo, et incensa offerentes multa uel luminaria et munera dantes ad seruientes ibidem.

Item reuertentes in Hierusolimam, descendentibus nobis in uia, quae uadit in Gaza et Ascalona, continuo milia XX de Hierusolima uenimus in monte Gelbuae, ubi occidit Dauid Goliam. Ibi et mortuus est Saul et Ionathas. Ibi enim iacet Golias in media uia, aceruum ligneum ad caput. Congeries petrarum, mons excelsus, ita ut ad milia XX lapis mobilis non inueniatur, quia consecratio est, quanticumque uel quotienscumque transierit, ternas lapides portantes et super ipsum tumulum iactantes. Nam in ipsis montibus numquam pluit

et nocturnis horis secretum sic: uidentes spiritua inmunda uolui, oculata fide tamquam uellora lanae aut certe undas maris.

Deinde deuiantes ad latus uenimus in ciuitatem quae dicitur Eleutheropolis, in loco, in quo Samson cum maxilla asini occidit mille uiros, ex qua fons processit, quae fons usque in hodiernum diem inrigat ipsa loca. Nam et ad locum, ubi exsurgit, fuimus. Deinde uenimus, in loco, ubi Zacharias occisus est et iacet in corpore; basilica pulchra ornata et serui dei multi. Inde uenimus in loco, ubi Esaias a serra secatus est uel iacet, quae serra pro testimonium ad sanctum Zachariam posita est. Exinde uenimus ad locum, ubi Abacuc prandium portauit messoribus. Et ibi exsurgit fons, ubi baptizauit Philippus eunuchum. In quibus locis sunt putei, quos foderunt Abraham et Iacob, hoc est, puteus coniurationis et puteus calumniae.

Sections 33 to 47

Ingressi sumus in Ascalona. Ibi est puteus pacis in latitudine maior, in modum theatri factus, in quo usque ad aquam per gradus descenditur. Ibi requiescunt tres fratres martyres Aegyptii; propria quidem nomina habent, sed uulgariter Aegyptii uocantur. Ad miliarium ciuitas Sarafia et in proximo ciuitas Maioma Ascalonitis. Exinde uenimus in ciuitatem Maioma Gazis, in qua requiescit sanctus Victor martyr. De Maioma usque in Gaza miliarium unum. Gaza autem ciuitas splendida deliciosa, homines honestissimi omni liberalitate decori, amatores peregrinorum. Ad secundum miliarium Gazae requiescit sanctus pater Hilario.

Et inde uenimus in ciuitate Elusa in caput heremi, qui uadit ad Sina, in qua etiam ex relatione episcopi quaedam nobilis puella nomine Maria. Quae dum nupta fuisset, in ipsa nocte nuptus sui mortuus est sponsus eius. Quae patienter portauit et intra septimanam illius manumisit omnem familiam ... erogauit pauperibus uel monasteriis. Intrinsecus celebrato die septimo ipsa nocte sublatum uestimentum sponsi non est inuenta. De qua dicitur in heremo esse trans Iordanen inter calamita uel palmita ambulante in finis Segor circa mare salinarum. In quibus locis inuenimus monasterium puellarum ultra XVI uel XVII in loco heremi, quas christiani pabulabant, quae habentes unum asellum, qui illis macinabat, et nutriebant leonem a pitulo mansuetum, ingentem, terribilem ad uidendum, qui, dum appropinquassemus cellulae, ante rugitum illius omnes animales, quos habuimus, minxerunt, ex quibus aliqui in terram ruerunt. Nam et sic dicebant, quia ipsum asellum ipse leo in pascua gubernaret. Quibus per me centum solidos offerebat ille christianissimus, cum quo fui, sed noluerunt accipere. Sed mittens in Hierusolima adduxit illis tunicas tricenas et ad cellarium legumina uel oleum ad luminaria, et ipsae nobis dixerunt de uirtutis Mariae, quae ambulabat in heremo. Duos dies ille, cum quo eram, ambulauit quaerendo, sed aut inuenerit aut non inuenerit, noluit nobis dicere; tamen tunicas et dactalos et cicer frixum sportellas, quas secum detulit, uel lupinum: nihil horum secum reportauit. Cuius adflictionem et ploratum nulla ratione potuimus consolare, tantum dicebat: Vae mihi misero, cuius me causa christianum dico?\'-

Proficiscentes de ciuitate Elusa, ingressi heremum. Ad XX milia est castrum, in quo est xenodochius sancti Georgi, in quo habent quasi refugium transeuntes uel heremitae stipendia. Exinde intrantes interiorem heremum uenimus ad loca, de qua dicitur: Terra in salsug-

ine a malitia inhabitantium in ea. Ubi uidimus raros homines cum camelos, fugientes nos, (nam et in Hierusolima uidimus), homines a parte Aethiopiae,. nares fissos, aures fissos, galliculas calciatos et per digitos in pedes anulos missos. Requisiti, quare sic, dixerunt: \'Traianus imperator Romanus signum hoc nobis dimisit.\'

Ambulantibus nobis per heremum dies V uel VI cameli nobis aquam portantes, sextarium mane et sextarium sero per hominem accipiebamus. Amarescente aqua illa in utres in felle mittebamus in ea harenam et indulcabatur. Familia autem Saracenorum uel uxores eorum uenientes de heremo, ad uiam sedentes in lamentatione, et sareca missa ante se petiebant panem a transeuntibus et ueniebant uiri ipsarum, adducebant utres cum aqua frigida de interiore parte heremi et dabant, et accipiebant sibi panes et adducebant resticulas cum radices, quorum odor suauitatis super omnia aromata, nihil licentes; quia anathema habebant et dies festos suos celebrabant. Populus autem, qui per ipsum maiorem heremum ingrediebatur, numerus duodecim milia sexcenti.

Qui perambulantes per heremum octaua decima die uenimus ad locum, ubi Moyses de petra eduxit aquas. Exinde alia die uenimus ad montem dei Choreb, et inde mouentes, ut ascenderemus Sina, et ecce multitudo monachorum et heremitarum innumerabilis cum crucis psallentes obuiauerunt nobis, qui prostrati in terra adorauerunt nos, simili modo et nos facientes flentes. Et introduxerunt nos in uallem inter Choreb et Sina, ad cuius pede montis est fons ille, ubi Moyses uidit signum rubi ardentis, in quo et oues adaquabat. Qui fons inclusus est intra monasterium, quod monasterium circumdatum muris munitis, in quo sunt tres abbates, scientes linguas, hoc est, latinas et graecas, syriacas et aegyptiacas et bessas, uel multi interpretes singularum linguarum. In quo sunt condita monachorum. Et ascendimus in monte continuo milia tria, et uenimus ad locum ad speluncam, ubi absconditus fuit Helias, quando fugit ante Iezabel. Ante ipsa spelunca surgit fons, qui inrigat montem. Inde ascendimus milia continuo tria in summum cacumen montis, in quo est oratorium modicum, plus minus pedes sex in latitudine et in longitudine. In quo nullus praesumit manere, sed orto iam die ascendent monachi et faciunt opus dei. In quo loco omnes pro deuotione barbas et capillos suos tondent et iactant, ubi etiam et ego tetigi barbas.

Mons Sina petrosus, raro terram habet. In quo per circuitum cellulae multae seruorum dei et in Choreb similiter et dicunt esse Choreb terram mundam. Et in ipso monte in parte montis habent idolum suum positum Saraceni marmoreum, candidum tam quam nix. In quo etiam permanet sacerdos ipsorum indutus dalmatica et pallium lineum. Quando etiam uenit tempus festiuitatis ipsorum recurrente luna, antequam egrediatur luna, ad diem festum ipsorum incipit colorem mutare marmor illa; mox luna introierit, quando coeperint adorare, fit nigra marmor illa tamquam pice. Completo tempore festiuitatis reuertitur in pristinum colorem, unde omnino mirati sumus.

Inter Sina et Choreb est uallis, in qua certis temporibus descendit ros de caelo, quem manna appellant et coagulatur et fit tamquam granum masticis et collegitur et doleos exinde plenos habent in monasterio, ipsorum et benedictionem dant ampullas modicas. Nam et nobis inde dederunt sextaria quinque. Ex quo etiam pro condito bibent et nobis dederunt et bibimus.

Nam et in ipsis montibus leo et pardus et onagri et durgones, qui et capreae, et burdones, qui in montibus molent, et insimul pascuntur nullusque eorum a leone laeditur propter uastitatem heremi. Et quia iam se complebant dies festi Saracenorum, praeco exiuit: ut, quia non subsisteret per heremo reuerti, per quo ingressi sumus, alii per Aegyptum, alii per Arabiam reuerterentur in sanctam ciuitatem.

De monte Sina in Arabia in ciuitatem, quae uocatur Abila, sunt mansiones octo. In Abila autem descendit nauis de India cum diuersis aromatibus. Nobis autem uisum est per Aegyptum reuerti et uenientes in Fara ciuitatem, ubi pugnauit Moyses cum Amalec, ubi est oratorium, cuius altare positum est super petras illas, quas subposuerunt Moysi oranti. In ipso loco ciuitas munita muris de lateribus, locus sterilis ualde praeter aquas et palmas; in qua ciuitate est episcopus. Et occurrentes mulieres cum infantibus, palmas in manibus portantes et ampullas cum rafanino oleo, prostratae pedibus nostris unguebant plantas nostras et capita nostra, lingua Aegyptiaca psallentes antifonam: \'Benedicti uos a Domino et benedictus aduentus uester, osanna in excelsis.) Ipsa est terra Madian et ipsi inhabitantes in ea ciuitate dicitur, quia ex familia Iethro, soceri Moysi, descendunt. Octingentas condomas militantes in publico cum uxoribus suis, annonas et uestes de publico accipientes de Aegypto, nullum laborem habentes, quia nec habent ubi, eo quod totum harena sit, et praeter singulis diebus habentes singulas equas Saracenas, qui capitum paleas et hordeum, de publico accipient, discurrentes cum ipsis per heremum pro custodia monasteriorum et heremitarum propter insidias Saracenorum, ante quorum timorem non exagitantur Saraceni. Nam exeuntes de ipsa ciuitate a foris illi serant et claues tollent secum. Et illi, qui sunt ab intus, similiter faciunt propter insidias Saracenorum, quia nec habent, ubi exeant foris, praeter caelum et harenam.

Exinde uenimus in Sochot et exinde descendimus in Magdalum, etiam et ad locum ad LXXII palmas et XII fontes, ubi applicuimus duos dies delectati post tanto labore et uastitate heremi. In quo loco est castellum modicum, qui uocatur Surandala; nihil habet intus praeter ecclesiam cum presbytero suo et duo xenodochia propter transeuntes. In quo loco arborem piperis uidi et ex ipso collegi. Exinde uenimus ad locum, ubi filii Israhel transeuntes mare castra metati sunt. Et illic similiter castellum modicum, infra se xenodochium. Et inde uenimus ad locum ad ripam, ubi transierunt filii Israhel. Ubi exierunt de mare, est oratorium Heliae, et transcendentes in locum, ubi intrauerunt in mare, ibi est oratorium Moysi. Ibi est et ciuitas modica, quae appellatur Clisma, ubi etiam et de India naues ueniunt. Quo maris loco, ubi transierunt, culfus exit de pelago maiore et extendit intus in multis milibus, qui accessa recessa habet. Recedente mare omnis praefiguratio, arma Pharaonis uel uestigia rotarum curruum parent; sed et omnia arma in marmore conuersa. Illic accepimus nuces plenas uirides, quae de India ueniunt, quas de paradiso credunt homines esse. Cuius gratia talis est: quanticumque gustauerint, satiantur.

Intus autem in pelago ipso ad milia XI est insula modica, petra uiua, in qua pendent digiti molles ut carnei in modum dactalorum, qui fundent unguentum, quod oleum petrinum appellant, qui pro grande benedictione tollitur. Yas, quo portatur, si impletus fuerit et

uolueris reiterare ad tollendum, iam non eum recipit nec tenet. In quo loco quanticumque aegroti, maxime daemoniaci, pertingere potuerunt, omnes saluantur. Quem tollentes pro benedictione non eum permittunt integrum exire per Clisma, sed commiscitur cum oleo. Nam si non adulteraretur, credo, quia ipsam uirtutem semper operaretur, nam liquor ipsius unguenti tenet continuo per milia duo. Odor quidem sulphureus. Qualisuis enim tempestas sit maris, tamquam in stagnum infra liquore illo sic stat. Infra ciuitatem ipsam Clisma intus in basilica uidimus locellos ligneos sanctorum patrum heremitarum ultra decem et octo.

Exinde uenimus per heremum ad speluncam Pauli, hoc est syriace cuba, qui fons usque hactenus rigat. Exinde iterum per heremum uenimus ad catarractas Nili. Ubi ascendit aqua ad signum, munitio manu facta hominis, hoc est gradus XII. In proximo catarractarum ex utraque parte Nili sunt duae ciuitates, quas dicunt filias Loth fabricassent, ex quibus una dicitur Babylonia. Venientes per campos Taneos uenimus in Memphi ciuitate et Antinou, in qua resedebat Farao, ex qua et filii Israhel exierunt. In ipsis locis sunt duodecim horrea Ioseph plena.

In Memphi fuit templum, quod est modo ecclesia, cuius una regia se clausit ante Dominum nostrum, quando cum beata Maria illic fuit, et usque hactenus non potest aperiri. Ibi enim uidimus pallium lineum, in quo est effigies Saluatoris, quem dicunt tempore illo tersisset faciem suam in eo et remansisset imago ipsius ibi, quae singulis temporibus adoratur. Quem adorauimus et nos, sed propter splendorem non potueramus intendere, quia, quantum intendebas, inmutabatur in oculis tuis.

Descendentes per Aegyptum uenimus in ciuitatem Athlefi et perambulauimus usque ad sanctum Mennatem, qui multas uirtutes ibi operatur. Inde ascendentes in nauicula per stagnum uenimus Alexandriam. In ipso stagno uidimus multitudinem corcodrillorum. Alexandria ciuitas splendida, populus leuissimus, sed amatores peregrinorum; haereses multae. Ibi enim requiescit sanctus Athanasius, sanctus Faustus, sanctus Epimachius, sanctus Antoninus, sanctus Marcus uel alia multa corpora sanctorum.

Iterum uenientes in Hierusolima, ubi etiam aegrotus remansi per multum tempus. Euidenter oculata fide uidi beatam Euphemiam per uisionem et beatum Antonium; quomodo uenerunt. sanauerunt me. Egressus de Hierusolima descendi in Ioppe. Ibi iacet sancta Tabitha quae et Dorcas dicitur. Deinde ueni Caesarea Philippi, quae turris Stratonis, quae et Caesarea Palaestinis uocatur. In qua requiescit sanctus Pamphilus, sanctus Procopius, sanctus Cornelius, ex cuius lectu benedictionem tulimus. Inde per Galilaeam ascendimus et uenimus Damascum. Ibi est monasterium ad miliario secundo, ubi sanctus Paulus est conuersus, uicus qui uocatur rectus, in quo multae fiunt uirtutes. Deinde uenimus Heliopoli, et exinde uenimus Emiza, ubi est caput sancti Iohannis baptistae, qui est missus in doleo uitreo, quem etiam infra doleum oculis nostris uidimus et adorauimus. Exinde transeuntes per ciuitates, hoc est Larissa Aristosa et Epifania, uenimus in ciuitatem splendidissimam Apamiam, in qua est omnis nobilitas Syrorum.

Exeuntes de Apamia uenimus Antiochia maiore, in qua requiescit sanctus Babyllas et tres paruuli, sancta Iustina et sanctus Iulianus et fratres Machabei, hoc est nouem sepulchra, et super uniuscuiusque sepulchrum pendent tormenta ipsorum. Exinde descendimus in Mesopotamiam in ciuitatem Chalcida. Deinde uenimus in Carran, ubi natus est Abraham, et descendentes nos inde uenimus in ciuitate Barbarisso, ubi requiescit sanctus Bacchus, frater sancti Sergii. Deinde uenimus in ciuitate Suras, per qua ciuitate media descendit fluuius Eufrata, qui in ipso loco per ponte transitur. In ipsa passi sunt sanctus Sergius et sanctus Bacchus, et ad duodecim milia intus in heremo inter Saracenos requiescit sanctus Sergius in ciuitate Tetrapyrgio.

Source. Latin text from the Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum (CSEL) collection of the Open Greek and Latin project (digital edition of ***Itinera hierosolymitana saecvli IIII-VIII*** edited by Paul Geyer (Prague, Vienna, Leipzig, F. Tempsky, G. Freytag: 1898) Corpus scriptorum ecclesiasticorum Latinorum 39), encoded in EpiDoc TEI XML. Digitised and corrected by the Open Greek and Latin team (University of Leipzig and partners); the text is taken from the printed edition by OCR with correction, so some errors may remain. SermonIndex has only divided it into short sections for reading; the critical notes, margin notes and apparatus of the printed edition are not shown here but are kept in the XML download.

Licence. Creative Commons Attribution-ShareAlike 4.0 International (CC BY-SA 4.0). You may share and adapt this text if you credit the Open Greek and Latin project and release your version under the same licence.